DISSERATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PHTHISI PULMONALI.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PHTHISI PULMONALI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS MANNIX,

Hibernus.

—Lethalis lateri haeret arundo. VIRG. Aeneis.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT DUN. STEVENSON ET SOCII.

MDCCCXVIII.

HENRICO MANNIX,

BARONETTO,

PATRI SUO

ET

AMICORUM OPTIMO,

GUL. MANNIX,

S. P. D.

Tibi, Pater carissime, omne quodcunque boni aut laudabilis meum est post Deum debeo: tibi, itaque, qui in me tot ac tam magna beneficia praeter merita cumulasti, hasce meorum studiorum primitias, eheu parvas! sacras esse volo. Hoc animi gratissimi argumentum, accipias quaeso, quo testatum cupio, quam carum atque sanctum semper erit mihi tui meminisse.

Diu feliciter vivas et valeas, bonisque omnibus amatus, obsecrat et semper obsecrabit Filius. Valeto.

Datum Edinburgi Kalen. Augusti 1818.

SODALI ET AMICO DILECTISSIMO,

GULIELMO BEATTIE, M. D.

VIRO PRAECLARI INGENII,

MENTISQUE PIAE, CASTAE, SOLIDAE, SAGACIS ;

LITERARUM HUMANIORUM, ALIUSQUE

DOCTRINAE AD REM MEDICAM PERTINENTIS,

ADMODUM ERUDITO ;

HOC,

QUALECUNQUE SIT,

OPUSCULUM,

PERTENUE, SED SINCERUM,

AMORIS ET AMICITIAE

MONUMENTUM

CONSECRAT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PHTHISI PULMONALI.

AUCTORE GULIELMO MANNIX.

QUAEDAM PRAEFANDA.

OMNES inter morbos quibus genus humanum proclive est, nullus attentionem medici magis sibi vindicat, quam de quo fert animus pauca tractare; qui quippe inter Brittannos tam late grassatur, tam multam stragem efficit, ut nil ei obsistere valeat medicina. Eheu, quam plurimi huic indies succumbunt! Quibus et formae elegantiâ et egregiâ indole gaudere contigit! Malum quidem hoc

hoc insolabile nec pulchritudini nec juventae parcit: His potius immo praedari laetatur.

Quantum igitur dolendum est quod medicina, quae scitè adhibita, tam plurimos in sanitatem revocat, nil huic opis afferre queat!

In quaedam de Phthisi tractando (quoniam mihi bene innotuit nihil esse ignoti quod in lucem edere velim) quaecunque ex aliorum experientia, vel mea, quatenus adhuc exigua, in animo est quam brevissime proferre: Undique decerpens quodcunque sese utile praebeat.

MORBI HISTORIA.

Signa hujus morbi plerumque variant prout causae a quibus orta fuerint. Forma generalis phthiseos a tuberculis natae, his signis dignoscitur. Quidam, puberes praecipue, tempore verno, vel autumno, tussi sicca, brevi, et crebra afficiuntur

tur, anhelatio nonnihil impedita, et difficilis, etiam lenissimâ exercitatione multum concitata, constrictio et sensus oppressionis circa pectus sentitur; macies indies ingravescit, hic status per aliquot tempus maneat, aestate autem multum lenitur; si tamen fervida aestas et arida, et autumnus et hyems insequentes pluviosi, indicia omnia acrius recurrunt.* Alvus saepe adstricta, urina alto colore tincta, sedimentum rubicundum et furfuraceum deponit. Tussis molestior ac difficilior fit, praecipue per noctem; sputa tandem viscida et copiosa, ac persaepe viridentia rejiciuntur, ad ultimum purulenta fiunt, nonnunquam sanguine commixta.

Primis morbi gradibus saepe fit, ut pulsus arteriarum minimum varietur, morbo autem provectiore exilem, durum, et frequentem se habet; facies interea erubescit, praesertim post cibum sumptum;

* Ην ἐτὸθερος αὐχμηρὸν ϗ βορειον γενηται, το δὲ φθιναπωρον επομβρον δὲ ϗ νοτιον, κεφαλαλγιαι ες την ψειμνα γινονται, ϗ βραγχοι, ϗ κορυζαι ενιοσι δὲ ϗ φθισιες.

Hipp. Aph. xiii, Sect. 3.

tum; volae manuum et plantae pedum incalescunt, respiratio difficilior et magis anxia fit, mox febris hectica aggreditur; per exacerbationes rubor floridus et finibus circumscriptus partem exiguam utriusque genae occupat. Hae exacerbationes sensu frigoris et nonnunquam rigore accedunt, sed ut DUNCANUS ille noster affirmat, hoc frigus per partem corporis, potius quam per totum, sentitur, et utcunque se habeat, thermometro applicato, calor naturalis indicatur; nunc pedum oedema supervenit, os lingua faucesque ulcusculis aphthis nimirum efflorescunt, petechiae eodem tempore in variis corporis partibus videntur, et alvus fluens non citra voluntatem quidem, sed laxius atque crebrius, diarrhoeam profluentem certissime praenunciat; haec plerumque cum sudoribus alternat. Quo magis copiosi sudores fiunt, tanto parcius diarrhoea, et vice versa. Partes corporis prominentes, quibus pondus ejus incumbit, tandem gangraenâ affectae. Vis febrilis augescit, jamjamque vehementius urget. Mens aliis labat, aliis tamen integra remanet. Oculi lumen fugiunt, et nunc aeger visu valde miserabilis.

Oculi

Oculi concavi fiunt, clari apparent et pellucidi: Exstant malae et cetera facies colorem pallidum et cadaverosum exhibet, rubor floridus ac circumscriptus in utraque gena videtur, vultus collapsus fit, et labris macie constrictis, dentes sese ostentant.

Hic porro notandum est, symptomata supra dicta etiamsi in plerisque, non tamen in omnibus consimilia esse.

CAUSAE PRAEDISPONENTES.

Harum praecipuae eis quae scrofulum gignunt omnino sunt similes; ex quibus excessus debilitantes, quicquid nervorum vigorem inaniverit, victum parciorem, necnon reliquias morborum priorum, et rationem medendi institutam imprimis recensere visum est, sic, a syphili, scrofula, morbillis, febre intermittente, scorbuto, diabete, vel podagra, phthisis haud raro originem deducit.

Causa

Causa attamen minime dubia est emigratio a regione calida ad frigidiorem, quod in Aethiopibus et etiam in Simmiis, in patria sua huic morbo nequaquam obnoxiis, certissime notetur. Phthisin nusquam alibi in Britannia acrius et magis fataliter quam in oppido Bristolia saevire, satis constat; et procul dubio, aliquid miri habet, laborantes hoc morbo tamdiu se illuc recipere consuesse.

Quos natura candido colore et capillis candidis donavit, longoque collo et thorace contracto finxit, hi, prae caeteris, phthisi opportuni esse videntur; quibus pupilla oculi magis patula quam fert natura, secundum Doctores WITHERING et DARWIN Phthisi propensiores sunt, palpebrae longae et fuscae inter signa certisima quoque habitae fuerunt. Obnoxii etiam ii qui in vaporibus acridis, pulvere, aut aethere insalubri necessario versantur. Fumum urbanum minus esse noxium quam vulgo credatur, Doctor YOUNG testimonio suo affirmat refert: enim se in hunc morbum incidisse, dum in agro Herefordii loco saluberrimo

commoraretur

commoraretur, et postea locum confertissimum Londini habitantem, immunem morbi evasisse.

Hujusmodi sunt etiam cogitatio intensa, vini venerisque nimium, evacuationes copiosae, frigus subito corpori admotum, praesertim cum humore adjunctum.

Causas varias de frequentia phthiseos pulmonalis in Britannia protulerunt medici; inter alias, usum generalem carbonis fossiliss quidam interponunt; caeli autem temperiem inaequalem, vitam sedentariam, et vestitum tenuem, apud divites praecipue, inter primas commemorare haud dubitem.

CAUSAE EXCITANTES.

De natura contagiosa hujusce morbi diu certamen fuit: plerisque nunc persuasum est, nonnullis tamen dissentientibus, non esse contagiosum,

de

de hac re etiam HEBERDENUS sententiam ambiguam protulit. "Fateor enim me vidisse nonnullos tabe pereuntes, quorum morbus non aliud probabile habuit initium, quam quod assidue una fuissent, aut etiam dormiissent cum tabidis."* Quum Phthisis et Scrofula intimam conjunctionem inter se habent, haud facile credamus illam esse contagiosam et hanc contagione expertem, nam apud KORTONUM traditum est, se scrofulam in sanum transferre frustra expertum esse.† Infectio hereditaria saepe tantum prevalet, ut hunc morbum gignat dum causae excitantes abesse videntur. Saepius autem Phthisis catarrho, aut irritationi pulmonibus illatae, quae tubercula inducant, vel irritando postquam formata fuerint, est referenda; haemoptysis, pueumonia, morbilli, asthnia, et tubercula prae aliis omnibus, inter causas maximas excitantes enumerandae sunt: Ossificationes sinistri cordis, concretiones calculosae, et vermes, excitare habitae sunt: aliis oriri videtur a syphilide: tamen verisimile est, tubercula quieta irritationem

* HEBERDENI Commentarii.

† KORTON de Vitio Scrofuloso.

tionem pati, inde inflammationem et suppurationem excitari ab hydrargyro contra syphilitidem antidoto, quod in morbis omnibus strumosis perniciosum esse re probatur.

PROGNOSIS.

PHTHISIS PULMONALIS consideranda est in omni casu, summo discrimine vitae versari, omnino tamen non aeque periculosa; quoties emim e tuberculis oriatur, infaustior est, haemoptyse seu pulmonum inflammatione nata, minus periculi habet, in posteriore casu si abscessus formetur et intus dirumpatur, periculum magnopere augetur; nonnulli tamen post hunc prosperâ valetudine usi sunt. Utrum recens sit necne, vi febris Hecticae, evacuationibus, et debilitate, plerumque judicari potest. Exemplum a Doctore GREGORIO in praelectionibus profertur, ubi mania morbum fugaverit: Doctor MEAD par exemplum edidit. Multi affirmant symptomata pulmonaria recedere dum

abscessus formetur, vel dum eruptiones in summa cute fiunt. Ab Heberdeno puer memoratur cui signa solita aliquot menses aderant, et qui ad ultimum gradum morbi jam provehi videretur, quum subito vomitus eidem prope ad suffocationem, incidisset, et quum multum puris, una cum sacculo retinente, emisisset, non modo morbus se remiserit, sed valetudo integra gradatim fuerit instituta.* Progressus interdum mulieri in utero gerenti tardatur, sed etsi paucis, post partum, morbus sublatus, plerisque acrius redit.

CURATIO.

Haec in duo medendi consilia sese dividit. Primo tubercula si qua fuerint resolvere; et inflammationem arcere; aut si hoc fieri non potest, ulcerationem prohibere; secundo, mala ut nascuntur levare et compescere.

Cum

* Heberden de Phthisi, p. 379.

Cum tussis arida et dolor lateris adsint venaesectio commode fiat, alvus leniter solvenda, epispastica, laxantia, et regimen antiphlogisticum, adhibenda sunt, refrigerantibus quoque opus est, sicut salina mistura cum nitrate potassae, parvis, sed crebris portionibus antimonii tartarizati; cibus mitissimus et levissimus esse debet et concoctu facilis, ut fruges farinaceae, conchylia etiam optime conveniunt, omnia genera lactis idonea sunt, prae ceteris tamen, lac asinarium, adhibendum est: potius autem pro diaeta quam medicamento; lac etiam bovinum vel dilutum, vel quale primum fluit nonnihil sane prosit. Signis non urgentibus, cibus animalis tener et levis, facilisque concoctu haud abstrahendus est, indusio laneo aeger se vestire debet, nec affirmare dubito hoc modo saepe morbo praevenire. Temperies aequalis hoc tempore procul dubio prodesset, si satis diu adhibeatur. Emigratio ad regionem calidiorem bene promittit, praecipue ad Italiam, Siciliam, Madeiram, aut Indiam Occidentalem, sed quum hoc non semper aegri viribus aut facultatibus conveniat, saepe utile invenitur in partes rustrales Britanniae

demigrare,

demigrare, ubi aëre sicco et blando, aut exercitatio frui potest.*

Quidam senserunt ut aegri fontibus tepidis Bristoliensibus utantur, judiciis autem plurimorum, melior effectus a societate et exercitatione ibi repertis, quam a fontibus ipsis diffluat. Auctor qui digitalem tantopere celebravit, et qui Pthisin haud difficilius ea quam febres intermittentes cinchona sanari affirmat, de aquis mineralibis vehementer in alteram partem dissensit.† Navigatio jamdudum commendata, nam apud veteres auctores hanc, et diaetam lacteam invenimus: hic modus gestationis quanquam in multis exemplis non sine fructu, a compluribus hisce temporibus perniciosa putatur; alios plus aequo laudâsse, alios vituperasse mihi videtur, sic, " Utilis etiam in omni

* " Where air that trembling floats from hill to hill,
From vale to mountain, with incessant change
Of purest element," &c.
Dr. Armstrong's " Guide to Health."

† Beddoes on Consumption.

omni tussi et perigrinatio, navigatio longa, loca maritima natationes." * Quibusdam persuadetur exitus faustos ex ea orientes pendere a crebro vomitu, vel secundum alios a piceo vapore, vel ab aëre sale marino impregnato. Quae vomitum movent interdum utilissima sunt, praesertim sulphas zinci, aut sulphas cupri, sputum enim inde promovetur, secretiones et excretiones omnes facilius peraguntur, et pulmones expediuntur: hydrargyrus, cùm multos tumores discutiens, utilis est contra hunc morbum sed minimo cum fructu interdum injuria, adhibitus est. Digitali hodie magnam sibi tulit famam, ei tamen multi nimium confisi, vanam spem foverunt; mirificae hujus facultates in pulsus minuendo, olim et ubique innotuerunt, sed parem utilitatem caeteris morbi signis minime confert. Balsama quondam adeo laudata, et in usu medendi celebrata, nunc praeter gummi myrrh, rejiciuntur. Aër muriatico acido gase repletus saepe profuisse dicitur, Doctor Saunders hoc experientia probatum docet;

* Celsi, l. iv. c. 4.

docet; de inhalatione stimulante quae directe pulmones excitat, quidam, in "Journal de Medicine," bene et composite disseruit, quinetiam affirmat se, hac applicatione, periculosas affectiones chronicas pectoris saepe removisse.* Inhalatio arsenici et sulphuris remedium admodum potens habita fuit in casibus quibusdam nec paucis quidam.† Nec non multo fuit ex usu fumigatio picea. Secundum Doctorem CRICHTON, qui plurium meminit exemplorum in quibus eandem adhibuit, nec parvo quidem cum foenore, quamvis plerique aegrorum, inquit, ulceratione, sudoribus colliquantibus, et diarrhoeâ laborarent. Hanc fumigationem agere modo haud absimili ei quo aër marinus, aut aceti et aquae vel aetheris inhalatio verisimile est.

Cum

* Reflections et Observations sur la Medicine Pneumatique, et sur les Principaux Moyens de Traiter les Affections Chroniques de la Poitrine. Par J. BARDINE, tom x, p. 144.

† THOMAE WILLIS Pharmaceut. Rationis, c. vi. sect. 1, p. 144.

Cum sputa ulcuscula corrupta et foetida demonstrant, tum inhalatio non solum expurgando, externam sanationem promovendo, acritudinem puris morbidi secreti coercendo, aut diminuendo, utilis est; verum etiam stimulat sputum puris, quod in bronchiis relictum, ingressum aëris obstruit, et malum latius extendit. Cortex Peruvianus in gradibus evectioribus adhiberi solet; ad corpus tamen stimulandum et sputum reprimendum maxime conferre videtur; quando non auget dyspnoeam aptissime, secundum Doctorum DUNCANUM, adhibeatur, quod non solum sudores colliquantes et evacuationes aequo májores cohibet, sed etiam ad sanitatem integram spectat.

Quum ad hoc ventum est, et virium omnium dejectio, febris hectica, sudores nocturni, diarrhoea, facies Hippocratica, omnem curationis spem evertunt, et nil nisi umbra quasi restat aegroto, tantum tristi prognostico locus relinquitur.

Si angorem instantis mortis mitigare possimus, nil praeterea sperandum. Contra tussim et diarrhoeam

rhoeam quae somnum valde impediunt, ac interrumpunt, viresque superant, varia expectorantia, demulcentia sola, vel narcoticis, ut opio vel lactucario, conjuncta; ad diarrhoeam sedandam carbonas calcis, kino, catechu cum opio, maxime valent; hoc autem multi damnant quia diathesin phlogisticum auget, et sudores copiosiores reddit, sed haec mala levia praetereunda sunt, ob solatium aegri praebitum. Sudores nocturni frugibus, acido sulphurico, potione carbonatis calcis, reprimendi sunt. Medici munus non absolvitur, nisi iisdem vestigiis inhaereat, donec intra januas mortis laetans hospes accipitur.

FINIS.